



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de
Montisfalisci, M.DCC.XVII.

Casus XV. Argumentum. Stante Privilegio Pontificis, quod Beneficia conferantur solis porsonis oriundis alicujus Civitatis, & non alienigenis; An in Beneficiis patronatis possint alienigenæpræsentari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72191)

16que ulteriori ponderatione, una superius tacta, quod nempe in omnem casum deficiebat observantia, immo ex præmissis militabat in oppositum per duo fermè Secula, deficiente autem, vel contraria existente observantia, vel cessat ex jam dictis omnis præsumptio Privilegii, aut saltem per non usum potius præsumitur, vel revocatum, vel perditum ex quotidie animadversis per Bartol. in Leg. *fn. ff. de Constitut. Princip. ibique ceteri Scribentes, Suar. de Legibus lib. 8. cap. 34. num. 15. & 16. Nogueroi. allegat. Jur. 39. num. 39. Mandos. de Privileg. ad instar Gloss: 11. numer. 22. Tractat. divers. cum aliis plenum manu allegat. per Rot. decis. 175. num. 8. & 9. & decis. 229. num. 3. & 4. coram san. mem. Alexandro Octavo, & in nostris terminis eadem Rota in Brixien. Jurisdictionis 27. Junii 1710. §. Huc usque versic. Nihilominus coram Reverendissimo Kaunitz Episcopo Labacen.*

Et secunda, quod hæc privilegia, præcisivè ab Ordinibus Mendicantibus in proposito hujuscemodi unionum, quoad amovibilitatem, & regularitatem, extiterant radicitus avulsa, atque sublata per dispositionem Sacri Concilii Tridentini jam enunciata in dicto cap. 7. Reform. sess. 7. ut testatur Rota coram Dunozett. Jun. & coram Zarat. decis. 23. num. 34. vers. Ubi ait, & in prælaudata Brixien. Jurisdictionis dicto §. Huc usque sub initio, & ita declaratum fuisse per Sacram Congregationem Concilii docet Barbof. de Offic. & Potest. Episcopi allegat. 72. num. 190. & in suis Collectan. ad Concil. dicta sess. 7. cap. 7. num. 19.

A primo itaque ad ultimum, explosis prædictis assertis Privilegiis, tot in unum concurrere visa sunt fundamenta, ut non nisi pro prædicta Secularitate, & perpetuitate respondendum esse Domini censuerint utraque.

ARGUMENTUM.

Stante Privilegio Pontificis, quòd Beneficia conferantur solis Personis oriundis alicujus Civitatis, & non Alienigenis, An in Beneficiis Patronatus possint Alienigenæ præsentari?

SUMMARIUM.

- 1 Stante Privilegio Apostolico, quòd omnia Beneficia alicujus Civitatis conferantur solis ejus indigenis; Erectio Beneficii facta ab Ordinario pro alienigenis est nulla;
- 2 Stante Reservatione Jurispatronatus passivi favore eorum Civitatis, an præsentari possint Alienigenæ?
- 3 Verba, aut aliorum locorum: In Reservatione Jurispatronatus apposta, an intelligenda sint de quibuscumque Locis? & num. 4.

CASUS XV.

Stante Privilegio Apostolico, quòd omnia Beneficia alicujus Civitatis conferantur solis indigenis illius Civitatis, & nullatenus exteris, sive illa Beneficia sint libera, sive de Jurepatronatus Laicorum, & stante Reservatione Jurispatronatus passivi favore eorum dictæ Civitatis, aut aliorum Locorum; Quæritur an Erectio Beneficii facta ab Ordinario pro Alienigenis sit nulla? Et an possint præsentari Alienigenæ?

- 1 Respondeo quoad primum affirmativè; quia stante dicto Privilegio irritante omnes contrarias dispositiones derogando omnibus Statutis Ecclesiarum, aliisque sanctionibus etiam vim contractus habentibus derogatum censetur legibus adjectis ab ipso Ordinario in erectione Beneficii juxta decis. 1. num. 2. versic. Secus verò Domini de Præben. in novis. Ferret. conf. 109. n. 5. & 6. lib. 1. Falin. in tract. quando Litteræ Apostolicæ noceant Patron. num. 7. Lambert. de Jurepat. lib. 2. par. 3. quæst. 4. art. 10. n. 2. Pignatell. consult. 29. num. 14. tom. 4.

Ad

2 Ad secundum respondeo Negative, quia cum dictum Privilegium non præjudicat Essentiæ Jurispatronatus, sed solum præjudicat Juri, quod consuetudo tribuerat Patronis Laicis præsentandi, quem velint, inducendo Patronos ad illud, quod disposuerat Jus commune in cap. *Hortamur dist. 71.* consequenter obligat præsentari solos indigenas, nisi Fundator reservasset Juspatronatus passivum pro suis consanguineis, qui essent alienigenæ. Ita Lambert. de *Jurepatr. lib. 2. par. 1. quest. 7. art. 24. num. 26.*

3 Non obstat, quod Fundator reservaverit Juspatronatus passivum favore eorum dictæ Civitatis, aut aliorum Locorum; Quia hæc ampliatio: *Aut aliorum locorum*: Non intelligitur de locis cujuscunque partis Mundi, sed solum de locis existentibus intra Diocesim illius Civitatis, in qua Fundator natus est, & condidit Testamentum *Gloss. in Leg. 12. verb. Provincia C. de præscript. long. temp. & in E. Decernimus in verb. Locum C. de Aquaduct. lib. 10. Alber. in dictionar. litt. L. vers. Locus aliquandò, Lambertin. de Jurepatronatus lib. 2. part. prima, quest. 7. art. 24. sub num. 6.*

4 Quod ulterius probatur ex eo, quod Fundator primo loco mandavit præsentandum esse unum de dicta Civitate; Unde sequentia verba: *Seu aliorum locorum* important loca ejusdem qualitatis, & identitatis, & præcedenter expressa, ac propterea si præcedenter expressit dictam Civitatem, ita etiam subsequenter intellexit de aliis locis ejusdem Civitatis, seu intra ejus Diocesim circumfusis, non autem de exteris, aut sub aliena Diæcesi contentis, *Felin. in cap. Sedes num. 6. vers. Distio: Alius: de rescript. Honded. cons. 7. num. 31. Alberic. in Dictionar. verb. Alii Barbos. Diction. 26. num. 9. in fine, Rota decif. 327. num. 7. par. 1. recent.*

His rationibus Præceptor meus in una *Valentina Beneficii* in Rota scripsit, & obtinuit, quod Fundatio Cappellanæ cum Jurepatronatus passivo favore Clerici: *della Città di Valenza, o altri Luoghi*: intelligeretur de aliis locis existentibus tamen sub eodem Dominio Valentæ ex natura verbi *Aliorum*, quæ est repetitiva similitum, non autem diversorum ab ex-

pressis, ut videre est in ejus *Tractatu de Controv. Patron. alleg. tom. 2. in qua Causa emanarunt Decisiones coram Emerix Jun. decif. 1241. & alia 17. Febr. 1696. coram Reverendissimo dell'Olmo*; quæ erit impressa in ejusdem Præceptoris *Tractatu de Canonicis Lateranensibus cap. 24. in fine*; qui Tractatus hodie stat sub Revisoribus, & Typis dabitur Romæ.

ARGUMENTUM.

An Patronus de consensu Episcopi possit præsentare ad Beneficium eum, qui non habet omnes qualitates in fundatione appositas.

SUMMARIUM.

- 1 Patronus an possit immutare conditiones, & qualitates à Testatore in limine Fundationis appositas? & num. 2.
- 3 Patronus de consensu Episcopi non potest pro una vice præsentare ad Beneficium eum, qui non habet omnes qualitates in fundatione appositas.
- 4 Qualitates in fundatione volitas solum Pontifex immutare potest.
- 5 Pontifex, urgentibus necessitate, aut utilitate, derogare solet qualitatibus in fundatione appositis.

C A S U S XVI.

V Acante Beneficio A. simplici de Jurepatronatus, & habente ex lege fundationis annexum ordinem Sacrum, & Sacerdotalem, Patronus de consensu Ordinarii præsentavit ad illud filium suum in ætate annorum 14. constitutum. Quæritur, an hujusmodi præsentatio facta de consensu Ordinarii sit valida?

Et videtur respondendum *Affirmativè*, quia Patronus de consensu Episcopi potest pro una vice præsentare ad Beneficium eum, qui non habet omnes qualitates in fundatione appositas. *Rota decif. 81. numer. 4. coram Serafino.* Ratio est, quia Episcopus cum consensu Patroni potest ex justa Causa pro una vice tantum alterare qualitates, & conditiones Beneficio ad-